

rium postea in ejusmodi *Varillasis* ad oculum demonstratur.  
Multa in Historiis publicis adulationem & intempestivum amo-  
rem præ se ferunt, cuius non unicus *Iovius* aut *Grammondus*  
à *Gvidone Patino in Epistolis*, reus postulatus est, & vicissim  
in Historiis Anecdotis & Arcanis odii semina sparguntur. Desine  
itaqve mirari cur adeo discrepantes deprehendantur Historici  
non nullius nominis. Quid dubitat, conferat *Herodotum cum*  
*Ctesia*; *Dionysium Halicarnassum cum Livio*; *Josephum*  
*cum Tacito*; (qvando ad historias Judaicas dilabitur) *Eusebi-*  
*um cum Zosimo*; & inter recentiores *Paulum Jovium cum*  
*Belcaro*; *Gucciardinum cum Bembo*; *Surium cum*  
*Schleidano*; *Haraum cum Grotio*, *Buchananum cum*  
*Camdeno*; *Sandenum cum Burnetto*. Omnia hæcce eo  
magis apta sunt ad persuadendum non temere Senecam calcu-  
lum posuisse in qvæstione de Fide historica, qvando Nat.  
qvæst. 7. in hæc verba erumpit: *Nec magna molitione*  
*detrahenda est autoritas Ephoro: Historicus est.* Qui-  
dam incredibilium relatu commendationem parant, &  
lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur,  
miraculo excitant. *Quidam creduli: quidam negligen-*  
*tes sunt: qvibusdam mendacium obrepit: qvibusdam*  
*placet.* Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc commune  
de tota natione historicorum, qui approbari opus suum  
& fieri populare non putant posse, nisi illud mendacio ad-

*spersit*